

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVIT. CHRISTI.

EVANGELIUM, LUCÆ 2.

In illo tempore : Erant Joseph et Maria mater Jesu mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor. Quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo.

CONCIONES.

- I. *Christus signum cui contradicetur.*
- II. *Varie benedictiones.*
- III. *Suadetur viduitas.*
- IV. *Viduarum præscripta.*

V. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTUARIÆ.

- I. *Christus signum contradictionis.*
- II. *Quibus Christus in ruinam sit positus.*

CONCIO I.

CHRISTUS SIGNUM CUI CONTRADIGITUR.

I. Positus est in signum, id est, miraculum. Huic contradicunt : I. Judæi, II. Turcæ, III. Hæretici. — II. Positus est in signum, id est, vexillum. — III. Positus est in signum, id est, scopum, in quem mittunt jacula. Primo, Mali jaculatores, ut I. Judæi, II. Gentiles, III. Turcæ, IV. Magi, V. Hæretici, VI. Fideles aliqui. Secundo, Boni jaculatores.

THEMA.

Ecce positus est in signum, cui contradicetur, Luc. II.

Ferunt ludionem illum et mundi irrisorem Diogenem conspicatum aliquando jaculatores ad stuporem imperitos, a quorum jaculis scopus tutior erat quam spectatores. Itaque Diogenes ad ipsum scopum consedere cœpit. Qui mox increpatus, cur id faceret, respondit : « Ne forte me tangatis, video enim vos a scopo longissime aberrare, nec alium spectandi locum a sagittis vestris esse securiorem, quam hunc ipsum scopi. » Laert. I. VI. c. II. Vereor, auditores, ne hoc ipsum ego dicere possim de quamplurimis etiam Christianis. His enim Christus Dominus

propositus est pro scopo, ut ad ipsum jaculentur præclaris virtutum actibus, ut vel ex hoc evang. possumus colligere. Verum sunt quamplurimi, qui adeo aberrant ab hoc scopo, ut nihil minus tangant. Id quam verum sit, ex iis, quæ dicemus, clarius perspicitur.

Triplici potissimum significatione usurpatur signum in ss. Litteris : sumitur enim pro miraculo, pro vexillo et pro scopo.

I. Christus positus est in signum, id est, miraculum, secundum Euthymium et Jansenium. Est enim Christus vere miraculum orbis, teste Isaia, c. VIII. ubi in persona Christi ait : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel.* Et c. IX. ubi asserit Christum vocandum, id est, fore, *admirationabilem Deum fortem, etc.* Est autem Christus miraculum et portentum orbis primo in sua Incarnatione : est enim Deus homo.

Secundo in conceptione, quia conceptus sine viri opera et natus ex Virgine : de quo miraculo dicitur Isaia VII. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo concipiet et pariet filium, etc.*

Tertio in vita et operibus suis, quia vitam du-

xit sanctitate admirabili, et opera tam miraculosa præstitit, qualia nullus unquam. Ipsemet in vita sua fuit miraculum humilitatis, paupertatis, patientiæ, austeritatis vitæ.

Quarto in doctrina, quæ fuit mira et prius inaudita ac prorsus paradoxa, veluti beatos esse pauperes et qui persecutionem patiuntur, infelices contra divites, diligendos esse inimicos, et injurias non modo non vindicandas sed hilari animo excipiendas, honores fugiendos, ambiendum potius ultimum locum, etc. Denique sermo tantæ efficaciam et potentiæ, ut de eo dicerent : *Nunquam si c locutus est homo, sicut hic homo,* Joan. VII.

Quinto in passione, quando affixus cruci movit cælum et terram variis prodigiis, et quando oravit pro inimicis, quando latroni paradusum promisit, quando clamans expiravit,

Sexto in resurrectione. Quemadmodum enim Jonas, teste Domino Lucæ XI. fuit signum Nivivitis (cum videlicet a cete devoratus et rursum in litus ejectus fuit) ita et multo majus signum fuit Christus orbi, cum mortis faucibus absorptus, post triduum vitæ restitutus est.

Septimo in ascensione, quando propriis viribus nullo adminiculo, vide ntibus discipulis ad cælos ascendit.

Octavo in orbis subactione et conversione, per duodecim apostolos, rudes, inermes pauperes.

Verum huic tam grandi ac manifesto et per universum orbem coruscanti miraculo contradicere olim et contradicunt etiamnum perfidi Judæi, qui cum semper expectarint Christum, venientem non agnoverunt neque audierunt, quod non eo habitu, quem regium fore credebant, ipsis apparuerit. Itaque ei contradixerunt non verbis tantum sed factis etiam et verberibus, ejiendo eum extra civitatem et crucifigendo. Gentiles e contra, qui nec agnosebant, nec querebant Christum, ad ejus famam excitati sunt ad quærendum eum, nec difficile inveniunt. Id quod ex Isaia ostendit apostolus ad Roman. X. dicens : *Isaías audet et dicit (in persona Christi) : Inventus sum a non querentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit : Tota die, (id est, tota vita mea, in primis vero in cruce) expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.*

Contradicunt deinde Turcæ, qui cum Domini sepulchrum habeant apud se, et quotidie terant vestigia Salvatoris nostri et monumenta tot miraculorum ab eo patrorum, videant etiam miram et indelebilem Christianorum erga ea devotionem ac peregrinationem, necnon divinam vim ac potentiæ, qua loca illa sacra servantur adhuc immota inter medios hostes,

nec sine periculo ultionis divinæ moveri aut deleri ab eis possunt, nihilominus impie Christo divinitatem negant, et turpissimum suum Mahumetem præferunt, Christi denique cultores acerbissime persequuntur et tractant.

Contradicunt et hæretici, qui perperam in Christum credunt, quia sibi potius quam Deo revelanti credunt, et in primis maximo illo Christi miraculo, quo per universum orbem suam propagavit fidem, et ad hæc usque tempora illasam et illibatam conservavit, insanissime contradicunt, dum novam religionem ac fidem cudunt et sectantur, prius orbi inauditam et uno terræ angulo inclusam ; quod aliud non est, quam evertere fidem Christi, quæ sane catholica esse debet et universalis, sive tempora spectas, quibus a Christo ad nos usque derivata et conservata esse debet, sive loca et regiones, quibus undique propagata.

II. Positus est in signum, id est, in vexillum præsertim in cruce pendens, juxta Chrysost. et Theophylactum. Porro vexillum crucis seu Christus crucifixus positus est primo in signum reconciliationis humani generis cum Deo, seu fœderis inter homines et Deum, secundum Cajetanum et Dionysium Carthus, quo modo vexillum candidum fixum supra mœnia pacis signum est ; et quemadmodum arcus cœlestis quondam Noe datus est in signum fœderis. Arcus ille cœlestis duo habet cornua, similiter et crux ; arcus ille partim cælum, partim terram videtur tangere, sic mediante cruce terra cœlo juncta et confederata est ; arcus ille pacis signum erat et securitatis a diluvio, similiter et crux signum pacis est, promittens securitatem a diluvio gehennæ.

Secundo in signum salutis et redemptionis nostræ, quomodo in figura ejus serpens positus et propositus fuit Hebræis in hasta vel pertica vexillari, pro signo (Hebr. habetur, super vexillum) ut scilicet omnibus eum aspicientibus esset signum et instrumentum salutis recuperandæ post ignitos serpentum morsus, Numer. XXI. Ut enim serpens ille, cum venenum non haberet, suspensus tamen in alto venenum a læsis pellebat : ita Christus etiam, cum a peccato immunis esset, in cruce suspensus delavit hominum peccata. Et sicut aspicientes serpentem, sanabantur, non aspicientes non sanabantur ; ita et qui Christum per fidem et contritionem intuentur, sanantur a lethalibus peccatorum morsi bus : non item qui non intuentur.

Tertio in signum militare seu militiæ christianæ, ut ad hoc vexillum omnes congregemur, et sub eo militare non dubitemus, sed potius omni pudore ac timore posito in eo gloriamur ; quoniam Christus Dominus primus id

gestavit et suo contactu sanctificavit, nosque in eo tanto pretio emt. De hoc legimus Isa. XI. *Qui stat in signum* (Hebr. vexillum) *populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Et post pauca: *Levabit signum in nationes et congregat profugos Israel et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ.* Quemadmodum enim dux erecto vexillo congregat milites suos, sic Christus erecta cruce sua vocavit congregavit ad se gentes et Judæos, juxta suam prædictionem. Joan. XII. *Ego si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad me ipsum.* Hoc idem militiæ nostræ sigilli seu signum *Tau*, Ezech. IX. ut magis nobis imprimeatur, infixum est frontibus nostris in baptismo et confirmatione, in signum distinctionis nostrum a gentilibus et Judæis: quomodo signantur oves certo caractere, ut discernantur ab aliis.

Verum contradicunt huic primo, qui pactum cum Deo in pœnitentia factum irritum faciunt per relapsum: et præsertim ii, qui a fide semel suscepta relabuntur in hæresim vel perfidiam Ethnicorum aut Judæorum, quos apostolus ad Hebr. VI. existimat renovari per pœnitentiam non posse, id est, difficillime posse, eo quod rursus (quantum in se est) crucifigant sibimet ipsis Filium Dei. Si enim passio Christi infiniti valoris non fuisset, adeoque ad omnium sæculorum peccata delenda sufficiens, oporteret Christum toties mori, quoties mortaliter peccant homines, sicut victimæ Aaronicæ toties mactari et offerri debebant, quoties peccabant Judæi. Quotquot igitur non desinunt arcum suum intendere et peccatorum jacula, blasphemias præsertim, emittere contra Deum, contradicunt iridi crucis, quam in signum pacis erexit nobis Deus inter cœlum et terram: contradicunt, inquam, magis quam Judæi, quia si illi *cognovissent Dominum gloriæ, non crucifixissent.* Christiani agnoscunt illum et credunt esse Dominum gloriæ, et tamen crucifigunt.

Secundo, qui vexillum crucis pro salutem nostra erectum intueri nolunt per fidem et pœnitentiam. Per fidem uti gentiles, Turcæ, Judæi et hæretici. Per pœnitentiam, uti Christiani, qui cum lethalibus peccatorum morsibus pleni sint, ad Christum tamen crucifixum ejusque merita et sacramenta non aspiciunt, nec utuntur pharmaco pœnitentiæ, tanto pretio sibi parato: plerumque contingit, ut qui lethaliter morsi non sunt, frequentent sacramenta; contra qui vulneribus peccatorum scatent, non frequentant.

Tertio, qui cum videant exemplum Christi crucifixi, ad crucis vexillum congregari nolunt, hoc est, disciplinæ christianæ jugum fugiunt aut excutiunt, sequentes suas concupiscentias et desideria carnalia. Crux quasi in signum in

bivio positum, ostendit nobis viam cœli, quæ est via crucis arcta. Contradicunt ergo huic signo, qui hoc spreto eligunt viam voluptatis latam. Multi tales christiani, sed insuper non pauci impugnant proprium vexillum, qui virtutis viam ejusque sectatores irrident et persequuntur. Mirum non est hostes impetere vexilla aliena suis hastis et sagittis: id vero mirum et dolendum, facere hoc milites propriis vexillis, sub quibus ipsi militant. Deflet hos omnes apostolus ad Philip. III. dicens: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est.*

Denique qui cum cruce signati sint, vivunt velut ethnici et pagani; ut ab iis discerni facile non possint. Crucem in fronte pictam veluti ad portam urbis gerunt, ne quid in animam suam intromittant hostile et contrarium Deo; quod tamen dum ipsi negligunt, annon Deo contradicunt? Tales qui inter alios christianos accedunt velut oves ad sacram communionem, interrim tamen hædi sunt fetentes quod vel male confessi, vel non sint contriti.

III. Positus est in signum, id est, in scopum, ad quem jacula mittuntur; quo sensu dicitur Thren. III. *Posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias phœtreæ suæ, id est, sagittas.* Huc proprie respexit Simeon, cum dixit Christum esse positum in signum. Et primo sensu literali propositum est Judæis maxime, quia ipsi sibi Christum tamquam scopum præfixere in quem jacula calumniarum et blasphemiarum, necnon odii sui tela, omnis generis tormenta, quæ in ipsum excogitarunt, effunderent. Quod sane impense præstiterunt, modo insidias ei tendendo ut caperent cum in sermone, modo doctrinam et miracula, modo vitam ejus carpendo, modo excogitando falsa testimonia quibus eum accusarent, modo supplicia prius inaudita, ut coronam spineam, etc. Verum absit hoc a nobis, ut cum pessimis Judæis jaculemur ad hunc scopum. Audistis forsitan judicium Ariopharnis Thracum regis, quod auctore Diodore Siculo, libro II. fuit hujusmodi. Tres Cimmeriorum regis filii, de paterno regno contententes, judicem elegere Ariopharnem. Hic jubet patris cadaver sepulchro erui, arbori alligari, et eos arcu contendere, ut qui patris cor transfixisset, is in regnum succederet. Primogenitus guttur, secundus medium pectus corde illæso transfixit: supererat in minimo spes regni: vicit pietas, et se regno cedere malle, dum in patris cadaver pietate superior esset, professus, jaculari detractavit. Huic Thrax regnum adjudicavit, quia naturæ propensione se et vere filium et virtute præstantiorem ostendisset. Hunc in modum Christus positus est in

signum seu scopum, non quidem ex Dei intentione, sed ex malitia hominum, ad quem jacula sua emitterent; quo sensu dixit apostolus I. Cor. I. *Prædicamus Christum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Jaculati in primis sunt Judæi, cum in crucifixum eructarunt omnis generis contumelias: « Alios salvos fecit, seipsum salvum faciat, si est Christus Dei electus. Si tu es rex Judæorum salvum te fac. Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo reedificas illud, salva te ipsum: si Filius Dei es, descende de cruce. » Postea vero dum in ipsum amplius sævire non poterant, in cruce ejus debacchati sunt; ut quando anno 413. in loco Inmestar, inter Chalcidem et Antiochiam, puerum christianum cruci alligarunt (ad opprobrium Christi) et suspensum verberibus usque ad mortem cruciarunt, apud Baron. anno 413. Et anno 763. quando Beryti imaginem Christi illuserunt et crucifixerunt, lancea item in latere vulnerarunt, unde tanta sanguinis et aquæ manavit abundantia, ut orientales et occidentales Ecclesiæ ex eo ubertim acceperint, ut Baronius, anno dicto. Post hos jaculati sunt in Christum gentiles; e quibus apostata Julianus jaculo invisibili tactus, sanguinem e vulnere profluentem versus cœlum, quasi in Christum, ejaculatus, dicensque: *Vicisti Galilæe,* desperatus perit. Quibus accensendi in primis Turcæ qui capta Constantinopoli venerandam crucifixi imaginem tympanis præeuntibus per vicos et plateas ex urbe in castra abierunt, sputo, luto, jaculis, pilo capiti ignominiose imposito, omnique alia contumelia dehonestarunt, hoc addito elogio: *Hic est Deus Christianorum,* ut scribit Leon. Chiensis Mitylænæ archiepisc. orat. de postrema cap. Constant. Deinde magi illi, qui ut homagium dæmoni præstent, feria sexta majoris hebdomadæ, in S. Crucifixi imaginem aliquam, ut in scopum, tela collinant, inde sagittarii dicti, apud Delrium tom. II. disquis. I. III. p. I. q. IV. sect. IV. Denique hæretici Calvinicolæ qui in sanctam Christi imaginem nefanda exercuerunt, hodieque exercere non timent. Inter alia scribit Rosæus I. de just. reip. in reg. auct. « Iidem fratres in diœcesi Carnotensi longe ultra hanc vel Aurangiorum, vel Turcarum diritatem progressi sunt, qui in Ecclesiam quamdam, ubi sacerdos divinum illud Christianorum sacrificium peragebat, irrumpentes, proculcata suis pedibus sacra hostia, et effuso sanguine, calice loco matulæ abutentes, et sacerdotem ad urinam ehibendam compellentes, mox eundem cum crucifixi Christi imagine alte colligarunt, et Christum cum sacerdote plurimorum selopetorum glandibus transfixerunt. Quod facinus, plusquam diabolicum a multis Evangelicis, in

aliis plerisque locis factitatum fidelissimi historici annotarunt. »

Atque hæc sunt jacula Judæorum [et gentilium, horumque affinium hæreticorum. Verum jaculentur impii isti, exserant in Christum virus et odium suum; nos vero quidvis pati, quidvis agere malumus, quam ejusmodi sagittas mittere in Christum Dominum, optimum patrem nostrum. Non desunt tamen e fidelium numero aliqui, qui iracundiæ cœstro perciti, simile scelus audent. Exstat hujusmodi sceleris memoria apud Moguntiam. Ea vero historia sic refertur a P. Nic. Serario de rebus Mogunt. l. V. in Adolpho. « Anno salutis nostræ M. CCCLXXXIII fuit in his regionibus homo quidam, cui nomen (Schelkropff): de cujus origine et patria neque aliquid adhuc compertum habeo, neque magnopere attinet rimari. Humili certe genere et ex infima plebe fuisse ortum fama consentit; sed qui natalium obscuritatem, veluti alter Herostatus, incensor delubri Ephesiæ Dianæ, insigni scelere illustravit, immortalis quadam infamia nominatissimus. Hic igitur cum alioquin natura præditus esset maligno ingenio, factus est etiam ultro tam licentia, quam consuetudine peccandi deterior. Neque flagitiis tantum, sed etiam infamia ipsa delectatus, in lustris et tabernis ætatem agebat. Fuit autem appetentissimus ludi, ex quo pleraque vitiorum genera, tamquam vermes e putri cadavere ubertim erumpunt: præcise vero impietas erga Deum inde nascitur, qua duce (Schelkropff) tantum nefas admisit, quantum vix omnibus retro sæculis auditum est. Cum enim, alioquin volens pro consuetudine sua fortunam ludo experiri, quosdam etiam sui similes ad ejus rei concionem illexisset: (nam fere nunquam in magna civitate complices peccato defuere) itum est ab illis in quodam diversorium publicum, sive tabernam suburbii Moguntini (Filzbach) appellati: nomen vero et signum ipsius tabernæ, flos erat, dicebaturque vulgo (zu der Blumen): cumque illic aliquamdiu taxillis lusissent, contigit forte ut (Schelkropff) parum prospera fortuna usus, pecuniam fere omnem quam habebat perderet, multumque detrimenti (opinionem suam) acciperet: quod cum per ludi progressum nedum non emendaret, verum etiam immodice augetur, cœpit tandem (uti solebat) graviter stomachari, et post convicia collusoribus dicta, Deum etiam et sanctos blasphemare. Sunt qui referunt eum hac ira et impietate succensum palam fuisse minitatum, quamcumque crucifixi Jesu imaginem primum obviam habuisset, ab ea se præsentis damni pœnas et vindictam repetiturum. Quod et si hujus hominis impietati plurimum congruebat, multumque credibile est; tamen id pro comperto affirmare non ausim. Hoc sane

constat, eum a sociis nihil pacatiore animo digressum pervenisse ad sacellum quoddam inter ædem D. Albani et hanc B. Virginis ecclesiam situm, ubi jam olim hæc simulacra fuerant reposita. Plenus erat (Schelkropff) haud dubiæ impietatis et qui scelus abominabile jam dudum animo conceptum mox effundere concupisceret. Quo primum ergo ad id sacelli pervenit, hanc imaginem crucifixi dissecuit; ita ut nec ullatenus hæreret quidem. Mox Divæ Virginis aliorumque sanctorum signis cruci adstantibus cæsim et punctim pleraque vulnera infligit. Haud absimilis lupo, qui majore interdum cædis libidine quam fame percitus in ovile indefensum grassatur. Hactenus (Schelkropff) debacchatus est: quæ vero sequuntur ad vindictam divinam et miraculum ipsum pertinent. Terrificus enim et admirabilis ille cruor, quem hic tibi videre licet, subito ex vulneribus a crudelissimo illo sicario passim illatis effluxit; ceu non lignea simulacra, sed vivi homines eam injuriam perpassi forent. Crederes Deum ipsum tanto scelere appetitum quodammodo indoluisse, et tam stupendo miraculo veluti manifesta doloris confessione, mortales ad vindictam faciendam animasse. (Schelkropff) autem jam expleta impietate sua, sive nutu Dei affixus, sive ipso cruoris miraculo exterritus, inde pedem non movit, donec a supervenientibus in flagranti crimine deprehensus, et in urbem Moguntinam captivus deductus est: non jam suæ sed divinæ iræ memor, anxiosque metu pœnarum, quas paulo post dedit: non quidem flagitio suo respondentes (non enim tantæ impietati par supplicium excogitari poterat:) sed quas homini homines infligere debuerunt. Vivus enim in conspectu populi exustus est, non longe ab urbe in eo loco, quem Judæorum aream vulgo appellant, quod Judæi quondam cadavera sua illic humare solerent. Hac morte impiissimus ille (Schelkropff) consumptus est; imagines vero vulneribus et cruore insignes ab ædícula illa veteri ad hoc templum summa veneratione sacerdotum manibus translatae fuerunt. Ubi in hodiernum usque diem terrificus ille cruor visitur, et admodum religiose colitur; multique mortales varie afflicti, susceptis votis, Dei Opt. Max. clementiam experti et salutem adepti sunt. »

Secundo. Propositus est Christianis sensu contrario et mystico, ut ad scopum hunc jaculentur. Primo ad eum dirigendo, veluti ad finem, omnia cogitationum, sermonum et actionum suarum tela juxta id apostoli I. Corinth. X. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et ad Coloss. cap. III. *Omne quodcumque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Dei nostri Jesu Christi,*

q. d. ad Christi gloriam veluti ad scopum referte. Scribit Tertullianus lib. de corona militis, et S. Hieronymus ad Eustochium, moris olim fuisse apud Christianos, ut in initio operis cujusque se signarent cruce, q. d. Hoc opus fiat ad gloriam Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti. S. Basilius in brevior. reg. 196. asserit manducare et bibere nos ad gloriam Dei, cum ad Deum inspectorem attendimus et manducamus velut operarii Dei, ad restaurandas vires quibus ei deinceps fortius serviamus. Secundo eum audiendo et imitando vitæ sanctimonia: *Religionis enim summa est imitari quem colis*, ait S. Augustinus, lib. VIII. de civit. cap. XVII. Dirigendi ergo actus nostri juxta præscriptum et exemplum Christi quo modo pictor aliquem depingens, identidem respicit in prototypon. Ita omnium in synagoga oculi, cum Christus legeret ex Isaia summam legationis suæ, erant intendentes in eum, Luc. IV. Huc, Christiani, dirigamus tela nostra exemplo Fl. Joviniani imperatoris, qui hoc gerebat symbolum: *Christus vitæ meæ scopus*, quem etiam tantum amavit, ut sub Juliano imperatore balneum ponere et de vita periclitari, quam a Christo deficere maluisset; cumque, extincto Juliano, imperator salutaretur, prius imperare noluit, quam milites pronuntiare sese non gentiles, sed Christianos esse, Baron. anno 363.

Verum Chisto contradicunt et ab hoc scopo aberrant, primo, qui suas actiones ad temporalia tantum commoda referunt. Qui bene vult jaculari, sinistrum oculum claudit, dextro sagittam dirigit: claudamus ergo sinistrum oculum terrenarum affectionum in omnibus nostris actionibus, dextrum aperiamus, nec aliud quam Christum quæramus, quo fiet ut omnes nostræ actiones scopum tangant et lucrum in celo parent. Verum hic dæmon instar illius Naas Ammonitis, I. Reg. XI. quamplurimum effodit oculos dextros, relinquit vero sinistros. Secundo, qui cum dicant se christianos, operibus contradicunt, juxta id apostoli ad Tit. I. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Quid de illo diceres, qui scopum sibi præfixum asserit esse in dextra parte, interim omnes suas sagittas jaculatur in sinistram? Nonne illum mentiri et tibi imponere diceres? Hoc agit Christianus, qui non vixit christiane, id est, juxta normam a Christo præscriptam et monstratam. Quid aliud est christianismus quam Christi professio et imitatio? At vero quando Christo contradicunt opera tua, quomodo non mentiris? Vide scopum, et vide jacula tua. Christus in præsepio jacet vili involutus panno; tu honores ambis, splendide vis vestiri: Christus opes sprevit, pauperes elegit parentes; tu divitiis inhias et incubas ut canis in præsepio,

qui nec illis uteris, nec aliis das utendas: Christum vides jacentem super fœno, media in hieme, vides in cruce morientem; tu voluptatem sequeris: vides esurientem et sitientem, felle et aceto potatum; tu gulæ tuæ servis et epularis splendide. Audis ignoscens suis inimicis, tu non vis ignoscere: audis eum dividere cum latrone paradisum, tu non tua tantum sed et suum cuique invides. Hoccine non est a scopo quem tu proferis tibi quæ præfixum asseris, longissime aberrare, adeoque fidem fallere, imo Christum irridere? Vos ergo, dilectissimi, in hoc jaculandi genere nolite errare: *Deus non irridetur*, ait apostolus ad Gal. VI. ne aliquando sero nimis dicatis: *Ergo erravimus a via veritatis*, Sap. V.

CONCIO II.

VARIÆ BENEDICTIONES.

I. Benedicit Deus. — II. Angeli. — III. Sancti. — IV. Pontifices et sacerdotes. — V. Parentes. — VI. Homines plebei.

THEMA.

Benedixit illis Simeon, Luc. 2.

Magni semper æstimatæ sunt benedictiones in Ecclesia, non ipsius Dei tantum, sed et angelorum et hominum quoque. Scimus enim Jacob angelo dixisse: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, Gen. XXXII. Scimus eum fratri suo benedictionem patris, astu præripuisse, Gen. XXVII. Denique pro ingenti confusione reputabatur, si cui quis præteriens benedictionem non precaretur, ut habetur, Psalmo CXXXVIII. *Non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domine super eos.* Et quis non magni æstimet benedictionem illam, quam in hodierno evangelio Simeon, impertiit Christi parentibus? Videamus igitur nunc, quorum sit benedicere.

Benedicit primo Deus, et quidem efficaciter seu dative, cum homines non nisi optative possint benedicere. Continet etiam et confert Dei benedictio omnem prosperitatem, et copiam bonorum tam spiritualium quam corporalium. *Quid est, benedixit?* ait S. Chrysostomus in Ps. CXIII. *Implevit bonis innumerabilibus.* Unde Dei benedictio præ omnibus aliis petenda et quærenda est. Benedicit autem Deus præcipue justis, Proverb. X. *Benedictio Domini super caput justi.* Item timentibus Deum, Eccl. I. *Timentibus Deum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur.* Item misericordibus, Proverb. XXII. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Denique iis, qui Dei cultum et templorum decorem promovent, uti promisit Agg. II. *Ex die ista (qua videlicet templum restaurasti) benedicam.* Uti vero benedictio Dei maximi faciendæ et exoptandæ est; ita ejusdem

maledictio maxime timenda et fugienda, quam incurrunt imprimis ingrati, ejusque contemptores, Psalm. CVIII. *Dilexit maledictionem et venit ei: noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.*

II. Benedicunt angeli, sic enim Jacob tenuit angelum et cum fletu, ut testatur Oseas, cap. XII. rogavit dicens: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Benedixit ergo illi angelus deditque nomen aliud, Israelis scilicet, Gen. XXXII. Idem Jacob moriens dixit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*, Gen. XLVIII. Ad hæc S. Columba Scotiæ veteris, quæ nunc Hibernia dicitur, civis, vidit paulo ante mortem suam angelum aspectabili forma sibi et fratribus suis benedicientem, ut scribit Adamannus in ejus vita, l. III. c. XXVII. Etiam ista benedictio magni faciendæ est et petendæ ab angelo, præsertim custode quoties cubitum imus, vel periculoso et diurno itineri nos accingimus, rem gravem ordimur, etc.

III. Benedicunt sancti, uti Moyses filiis Israel paulo ante mortem suam, Deut. XXXIII. Josue eisdem, Josue VIII, David populo II. Reg. VI. S. Simeon hodierno in evangelio parentibus Christi. Sancti etiam novæ legis frequens et efficax erat benedictio; unde a populo magno ambitu quærebatur. S. Epiphanius episcopo Salaminæ Cypri offerebat turba parvulos ad benedictionem certatim. Venerabili Bedæ occurrentes passim homines cervices submittebant, ut benedictionem ab eo reciperent. Similiter S. Fulgentio episcopo Cuspensi, S. Hilarioni, S. Theodoro archimandrita, S. Antonino archiepiscopo Florentino, et aliis apud Greterum de benedictionibus, lib. I. cap. IX. De hoc S. Antonino prodit Vinc. Maynardus apud Sur. tom. III. venisse eum aliquando cum comitibus ad montem Apenninum, ubi industria fabricarum ferrum liqueferi et fluere solebat. Porro faber ob eorum adventum indignatus, in blasphemias et contumelias erumpere cœpit. Mox ferrum stare et quasi congelascere, nullisque ignibus totius intervallo noctis incendi et fluere. Ergo errorem suum agnoscens faber archiepiscopum adiit, veniam postulans sibi quæ etiam benedici rogans. Accepta benedictione rediit ferro solitus fluxus. Quin etiam gentiles sæpe magna contentione quærebant sanctorum benedictionem; uti Saraceni S. Hilarionis et Simeonis Stylitæ, de cujus benedictione mire contendebant duæ tribus? Ismaelitarum, seu Saraceno-rum, ita ut in se invicem irruerent. Obsecrabat una tribus benedici suum præfectum, contradicebat altera, et suum potius præfectum, quam illum benedici volebat; illum enim injustissimum esse, hunc verum alienum a justitia. Vir sanctus cum eis de columna minatus esset